



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. III. De finibus ac sede Caucorum. Strabonis, Ptolemaei, Taciti finitiones. Mutuus metus interdum pro termino. Albis & Amisia limitatores fluvii. Antiquae Chaucidis ambitus ad nostri temporis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13007

paruit regi, datisque obsidibus, tributum (quod ne Persis quidem tulissent) pendere ne cogerentur, impetraverunt. Prope igitur est ut credam, Henetæ gentis superstitantes eousque reliquias, sociatis cum finitimo Caucone consiliis animisque, patriam populabundorum impotentia permisisse Galatarum, ac, quemadmodum vicinas in Asia regiones incoluerant, ita rursus novarum sedium reluctaturam hostibus affectasse vicinitatem.

C A P. III.

De finibus ac sede Caucorum. *Strabonis, Ptolomai, Taciti finitiones. Mutuus metus interdum pro termino. Albis & Amisia limitatores fluvii. Antiqua Chaucidis ambitus ad nostri temporis faciem accommodatus. Regiones populique modernæ Chaucidis. Fatum stemmatis Delmenhorstani, & Archaiopyrgici. Rectè Ptolomæo Chaucos Majores ad Albim locari, ad Amisiam minores. Responsum viro docto, qui uno atque altero argumento designationem Ptolomai labefacere conatur. Caulcos Straboni vocari Caucos minores. Et Ampsanos, Aemslandiam colentes.*

CUM universa veterum Germania dispari circumscribatur ambitu, aliis exporrecta prolatâque licentiùs, aliis arctata brevioribus & contracta spatiis, mirum hercule nequaquam foret, ejus terræ, quam summus exhibendam, latere nos ac fugere curatam delineationem,

tionem. Quippe Chaucis & longiùs ab Oriente Meridiè que femovetur, & serò demum exteris patefacta laceffentibus, apertiore cœpit indies fama noscitari. Est tamen quod gratiam eruditæ habeamus antiquitati. Strabo lib. VII. Oceani nos prætexi littoribus ostendit. Curatius aliquantò Ptolomæus lib. II. *Τὴν δὲ παρακειμένην κατέχευεν ὑπὲρ μὲν τὰς Βρυκτέρας οἱ Φρεΐτιοι, μέχρι τῆς Ἀμισίας ποταμῆς· μετὰ δὲ τὰς Καῶνας οἱ μικροὶ, μέχρι τῆς Οὐϊστέρας ποταμῆς· εἶτα Καῶνας οἱ μείζους, μέχρι τῆς Ἀλβίας ποταμῆς.* Id est, *Loca verò juxta Oceanum supra Bructeros tenent Frisii, usque ad Amisiam amnem: post hos Cauchi minores, usque ad Visurgim amnem: deinde Cauchi majores, ad Albi usque flumen.* At omnium curatissimè Tacitus: *Haecenus in Occidentem Germaniam novimus. In Septentrionem ingenti flexu redit. Ac primò statim Chaucorum gens, quanquam incipiat à Frisii, ac partem littoris occupet, omnium, quas exposui, gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur.* Exposuerat autem Angrivarios, Chamavos, Dulgibinos, quæis addit postmodo Cheruscas: ac proin horum omnium lateribus populorum obtendebantur, donec sinuoso Cattorum in confinia procurfu finirentur. Cujus aucti sunt accessione sinuationis, quando Nerone Imp. & Val. Messalla Coss. anno, post missum orbi Servatorem, quinquagesimo octavo,

octavo, pulsos sedibus suis Ansibarios adja-
 centium populorum reliquere miserationi: qua
 de re legere licet Annal. XIII. Et ab exposi-
 tis quidem nationibus vel modicorum distin-
 guebat eos annium interventus, vel mutua
 formido, quæ inter æquè potentes terminus
 est ac repagulum. Quod de nostris, Cheruf-
 corum cum primis ad spectu crediderim: qui
 diu bellica laude florentissimi, non tantum in-
 signi inter accolas celebrati sunt æstimatione,
 verum etiam frenatori orbis populo aliquando
 graves exstiterunt ac metuendi, donec nimiam
 ac marcescentem pacem sic illacessiti nutrie-
 runt, ut, qui olim boni æquique Cherusci,
 inertes ac stulti Corneliano seculo vocarentur.
 Obstaculi nonnihil invasuris Albis & Ami-
 sia minabantur, quorum hic ab occasu Solis
 hiberni Frisios, ille ab ortu Solis æstivi Fosos
 Taciti, sive Saxonas Ptolemæi à Chaucis aver-
 runcabat. A Septentrione vastis eos fluctibus
 Oceanus tundeat. Atque hoc quidem in uni-
 versum, ex mente profatūque veterum, cir-
 cumdare queo Chauco fines. Hodie, quantum
 per mutatas temporum pariter ac gentium vi-
 ces conceditur, in hunc modum signare Chau-
 ciæ telluris ambitum licebit. Post Oceanum,
 ex fluviis limitatoribus Albis Dithmarfos no-
 bis ostendit ac Stormaros, Amisia Frisios, quos
 vocant,

vocant, Occidentales. Deinceps Amisiam adimente nobis aut Lœda aut Hasio flumine, sensim versus Austrum, in Chattos usque sinuamur: donec, recurrente ad Visurgim limite, partem sui Chaucis Mindensis permittit Episcopatus. Hinc Visurgis littora legimus, usque dum Allari, paullum infra Ferdam Visurgi semiscentis, prospicere liceat è propinquo confluentes. Denique, Allarum inter & Albin, Ferdenses aut complectimur, aut dextimos relinquimus, at Luneburgensium, Hamburgum usque, præterimus indubitatò principatum. Hujus spatium latifundii, quod *immensum* non dedignatur appellare Tacitus, Bremensem comprehendit Archiepiscopen, Episcopes verò Mindensis obversam Boreæ portionem: tum Frisiam Orientalem, ac, præter hanc, tractus Comitatum titulo decoros, Oldenburgensem, Delmenhorstanum, Depholtensem & Hoyensem, sed Cis-Visurganum: denique præfecturam, porrigente Monasterii præfule, Wilderhusanam, nec non Cloppenburgium Vechtámque. Rursum Chaucis, quæ Bremensis audit, Oldelandiam, Hadeleriam, Kedingiam, Wurfatiam, & amplissimum patriæ nobis civitatis territorium habet. Orientalem Frisiam implent Translædani, Mormerii, Longani, Amasani, Broecmerii, Auricani,

B

Nor-

Nordani, Harlingii, Wangri, Ostringi, Ruffri. Oldenburgicum nomen amplectitur Stadlandus, Butjadus, Morimius, Stedingius. Hoyenses ac Depholtenses jampridem vetustissimæ nobilitatis amisere Comites, corripiente conterminorum unoquoque, quod suæ putabat opportunum dominationi. Delmenhorstana verò profapia, paucorum, cum hæc commentabamur, præeunte mensium intervallo, unà cum cælibe extincta est exspiravitque Palatino, prole sexus destituta melioris. Idem Archaiopyrgica fatum opperitur, si præcipi futura queunt, regali domui Comitatus, titulo debitarum hereditatem transcriptura ditionum. Ita rerum sese volubilitas habet: quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur, & ut assiduis agitantur populi vicibus, ita dominatricium familiarum occidunt aliæ, resurgunt aliæ, quibusdam, evulso stipite, rami, quos ex se fuderant, spem perpetuitatis ostendunt. Porro autem, qui Bremensi clauduntur diœcesi, Majores Chauçi, qui cetera dictarum nobis incolunt terrarum, Minores soliti sunt antiquitus appellari. Similem Busacteri, Frisii, aliique prisce Germaniæ cultores admisere distinctionem. Et, si non ab hominibus modò, sed ab ipsis exempla regionibus expectes, Poloniam, Scotiam, Britanniam, Majorem legimus & Mino-

Minorem. At nequaquam pedibus in eruditissimi viri sententiam ibo, qui Germaniæ Antiquæ lib. III. cap. XVIII. dicam putat impingendam Ptolomæo, quòd ad Albim Majores, ad Amisiam Chaucos locaverit Minores. *Quippe*, inquit, *quum universa gens inter Amisiam & Albim, tanquam cuneus in Chattos usque, ex sententia Taciti debeat sinuari, certè major ejus pars est citra Visurgim, minor verò ultra.* Sed enim vero sæpe non ex terrarum, quas occupant, amplitudine majori minorive, sed *ex modo virium*, Majorum Minorumque sunt æstimandæ diribitiones. Sic paullò ante, quàm Chaucos ordiretur, de Frisiis Tacitus: *Majoribus minoribusque Frisiisque vocabulum est, ex modo virium.* Aliud argumentum. Corbulo, memorante Annalium undecimo, natione pacata Frisiorum, misit, qui majores Chaucos ad deditionem pellicerent: probabile est autem, ad proximos eum finitimosque misisse. Hi igitur pro majoribus habendi sunt Chaucis. Atqui, nonne proximorum, sed minorum, præ se ferendo contentum, consultius utique putavit, hortari ad deditionem longiùs quidem absitos, sed majores, ut fiduciam virium, & spem utriusque subjugandæ nationis ostentaret? Nota videlicet arte ducum, qui famâ stare bella sciunt; &, quam experti sunt in tentatis, eandem,

dem, auspice rumore, felicitatem in tentandis antecapiunt. Adjice, quòd ante lustra non multa Drusum Tiberiumque, militari gloria nobile par fratrum, majores etiam Chauci aut fenserant, aut expaverant. Sustineatur itaque de Ptolomæo judicium, atque omnia nobis integra serventur. Strabo: *πρὸς ἃ τὰ Ὠκεανῶ Σιγαμβροί τε, καὶ Χαῦβοι, καὶ Βύκτεροι καὶ Κίμβροι, Καύχοι τε καὶ Καῦλχοι, καὶ Καμφισσῶν καὶ ἄλλοι πλείους.* Id est, ad Oceanum Sicambri, Chaubi, Buctari, Cimbri, Cauci, Caulci, Campsiani, & aliæ plures. Princeps harum literarum Casaubonus, quæ Caulcos istos terræ ceperint, quidve faciendum illis sit, ambiguus hæret. Quid si, formula vocis *καυχοισικῆ*, Caulcos non alios esse dicam, quàm Caucos minores? Ut enim Majores *Kautzen*, sic Minores *Kautzel*, vel ad similem sonum alludente vocabulo, cogniti usurpatique fuere. Nihil autem solennius primis rerum Germanicarum scriptoribus, quàm undecunque prompta gentium nomina, pro libitu suo, judiciive copia, profari. Cujus hallucinationis facilem in iis sperare veniam debent, quæ ad Albim vergerent, ultimum fluviorum, quos Græca Romanaque notitia complectebatur. Præterea nusquam alibi Majorum Minorumque commemorat Strabo Chaucorum: & hoc loco, quo Caucos Caulcosque delibat, junctim

junctim eos, nulla aliorum interposita populorum mentione, delibat. Eidem verò maximo virorum assentior, eosdem esse divinanti Campsianos, qui deinceps Ampfanorum nomine, eorum innectuntur recensio, quos, velut ulciscendo domitos Quintilio, populo Romano triumphator Germanicus exhibuit. Sicut Australis Hollandia Rhinlandiam videt ac Maeslandiam, nec non regionum plures suorum aliquid secernere comperiuntur arborum, cui ex flumine, quo lavantur, induere privam liceat appellationem: ita pars Frisię Orientalis, quam lambit Amasus, Aemslandię domestica notescit indigitatione. Hanc oram Strabonis impleverunt Ampfani, sive laxiùs malis, Amasani, Minorum portio natióve Chaucorum.

CAP. IV.

De terrę indole. Cyri dictum, aspera terrarum laudantis. Univerſa quondam Germania rigoris atque tristiſtia filia. Ingenia hominum ad ſimilitudinẽ cœli ſolique ſui horrere. Chaucia telluris antiquus horror. Politicorum ſententia, de urbibus in ſterili tenuique ſtruendis. Gallos, Cauconum ſedibus infuſos, Aſiatici ſoli luxuria fregit. Vultus terrę noſtrę, qualem nunc gerit, exhibitus. An vinum ferre queat, anquiſitum. Commerciũ patet, in Oceanum projecta. Ut alia omnia, ſic terram quoque ſuas experiri vices & immutationes.